

Johann Nicolaus Quistorp

**Programma In Solenni Admirandæ Et Salutiferæ Incarnationis Filii Dei ...  
Festivitate : Anno 1712.**

Rostochi[i]: Typis Joh. Weplingi[i], [1712]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003519652>

Druck Freier  Zugang









T. 512.

—  
1712. Weihn.

~~M 1256.~~ 132.



N. 1712.

PROGRAMMA  
IN SOLENNI  
ADMIRANDÆ ET  
SALUTIFERÆ INCAR-  
NATIONIS FILII DEI  
TY ΘΕΑΝΘΡΩΠΟΥ  
FESTIVITATE.

Anno 1712.

PROPOSITUM

ABS HODIE ACADEMIÆ



RECTORE  
JOHANNE NICOL  
QVISTORPIO,

Th. D. P. P. O. ad Div. Nicol. Past.  
R. Ministerii Patrii Superintendente.

Qvo

Pro officii ratione ad veram ejus observationem Cives  
Academicos majorem in modum hortatur.

I. Cor. II. v. II.

*Non statui quicquam scire inter Vos nisi JESUM Christum.*

ROSTOCH, TYPIS JOH. WEPPLINGI, SERENISS. PRINC  
ET UNIVERS. TYPOGR.

M. 1256<sup>132</sup>





Ex siderum, ille  
rerum omnium præpotens  
DEUS, matrem cœpit in  
hoc Festo habere, qui cre-  
avit ipsam suam matrem,  
qui vestit omnia nudus ja-  
cet in præsepio, totus est in  
virginis illibatæ sinu, quem  
nulla capit terrarum inter-  
cæpedo. DEUS, Excelsior Cœlo, qui super  
Stellarum verticem sublimatur, apud quem po-  
testas & terror, DEUS Deorum, Dominus virtu-  
tum, qui sedet super Cherubim, Dominus in  
Sion magnus, & Excelsus super omnes populos,  
Dominus DEUS noster, DEUS Exercituum, DEUS  
solus omnium Regnorum terræ, qui amictus  
est lumine sicut vestimento, qui ponit nubem  
ascensum suum, qui ambulat super pennas ven-  
torum, qui facit Angelos suos Spiritus & Mini-  
stros suos ignem urentem, cujus omnia opera  
magnifica sunt, fascioli stringitur, libertatis vin-  
dex. O mysterium superans omnem captum  
humanum. Vere magnum est mysterium hoc  
justitiæ, quod DEUS revelatus est in carne. Ab  
hujus mysterii cognitione tota nostra salus, tota  
nostræ Religionis ratio dependet. Uti a Christo  
omnia profluunt, sive a DEO per Christum tan-  
tum eorum possidemus, quantum re vera Chri-  
sti; Ita Christo destituti habemur <sup>Ad Rom.</sup> in mun-  
do sine DEI verbo, promissione ac salute Eph.

2.V.129



2.12. Hinc Apostolus Paulus nil dignum scitu prædicavit præter JESUM Christum 1. Cor. 2. v. 2. Multa sane Apostolus noverat, antequam ad Christum converteretur. Erat enim sublimi rerum tam divinarum, quam Humanarum scientia imbutus eaque præditus facundia, ut omnes tam Græcæ, quam Latinæ Eloquentiæ Oratores longo intervallo post se relinqueret. Lystris enim habitus est *Mercurius*, quod Barnabæ sermone præstaret Act. 14. v. 12. Sed omnis ipsi sapientia humana mera stultitia visa est, si destituta sit cognitione Christi, de qua rectissime in tritis illis dicitur.

*Hoc est nescire, sine Christo plurima scire.*

*Qui Christum bene scit, satis est, si cætera nescit.*

Omnis enim scientiæ & sapientiæ arx & caput est vera Christi notitia, quippe quæ sola hominem justificat & ad vitam æternam perducit, confirmante Esaia C. 53 v. 11. & corroborante ipsa veritate Joh. 17. v. 3. Non judicavit quicquam scire Vas illud electum DEI inter suos Auditores, nisi JESUM Christum. Sufficit mihi (intendit dicere) quantumvis multa alia scirem, de multis non ineleganter differere, facundiaque cum æmulis meis & Philosophis vestris certare possem, tamen nihili hæc feci solius Christi scientiam duxi a momento conversionis meæ summam. Ex hoc & fundamento olim optimi Martyres ad exprobrationem: Num quid præ aliis omnibus soli vellent videri sapere, egregie respon-

X



responderunt; Neutiquam nos sapientes arbitramur, omnis nostra sapientia solus Christus est. Reliqua mundi sapientia, coram DEO infania est. Notitia hæc uti præstantissima, ita maxime quidem necessaria est, citra quam homo nec salutariter subsistere, aut valere potest. Hoc illud unum necessarium Luc. 10. v. 42. In hunc ipsi Angeli, quod scientiæ momentum quam maxime extollit, cupiverunt *ὡς γὰρ Ἰσὴν* 1. Petr. 1. v. 12. Nempe Christus & in Christo omnia. Christus Finis Legis, Nucleus Evangelii Rom. 10. v. 4. Centrum Scripturæ, ad quod omnia referuntur Ps. 40. v. 8. Sicut homo est Epitome totius universi, ac naturæ creatæ speculum, sic Christus est totius Scripturæ Epitome, ac universale centrum,  $\Lambda$  &  $\Omega$  a quo omnia incipiunt, & in quo omnia desinunt. Unde Johannes Theologus Evangelista initium scriptionis suæ facit a Christo. *In principio erat Verbum Joh. 1. v. 1.* Ac in Christo terminat suam & omnem Scripturam sacram: *Gratia Domini sit vobiscum Apoclyps 22. v. 22. In Christo sunt omnes thesauri sapientia & scientia reconditi.* In quem locum sic commentatur Ambrosius: *Omnis scientia totius creatura superna & terrena in eo ut sit oportet, qui omnium eorum Caput est, sive Angelorum, sive solis, sive stellarum, sive cæterarum rerum, omnis scientia peritia in Authore illorum est, ut qui hunc cognoscit nihil ultra requirat, neque scientiam neque virtutem, quia agnovit eum, in quo perfecta virtus,*



ac perfecta scientia. Est autem Christus Puer,  
ille hodie nobis natus *Jesus Christus* & uti vere cre-  
ditur. In utraqve natura duo præsertim fides  
agnoscit, nempe primo, quod homo verus,  
tam & sanctissimus idem, ac justissimus, dein  
quod DEI Filius, DEUS ex DEO, lumen de lu-  
mine, non minus verus DEUS, quam homo  
Mediator est, ut loquuntur Scholastici partici-  
pationis utriusque. Ista vero singula probare,  
non est hodie nostri instituti, quæ tanquam  
certa & probata alibi jam simpliciter accipimus  
& optimam scientiam juste salutamus. *Propter*  
*nos temporalis* (inquit acutissimus Patrum Au-  
gustinus Sermon. XII. in Natal-Domini) *effe-*  
*ctus est temporum Effector, propter nos in car-*  
*ne apparuit mundi Conditor, propter nos cre-*  
*atus est Creator. DEUS de Patre, Homo de*  
*Matre, DEUS occultus & Homo manifestus.*  
*Humilitatis induere voluit formam, ut a pec-*  
*catis liberaret animas nostras.* Transgressio il-  
la primi hominis, totum deceperat mundum,  
ut nullum esset salutis remedium, nisi CHRIS-  
TUS adveniret e Cælo. Gaudebat teterrimus  
Draco, quia venenum præparaverat homini:  
sed ad hoc descendit CHRISTUS in uterum Vir-  
ginis, ut exinde humana fusciperet membra,  
quæ traderet cruci, & mortem induceret anti-  
quo Draconi. Quod in historia primi mundi  
dixit DEUS de Adamo, quasi ridens ex abu-  
su liberi arbitrii primo homini concessi, ejus  
stolidi-



soliditatem : *Ecce Adam, ecce homo est sicut unus ex nobis.* Gen. 3. v. 22. Idem de Altero Adamo Christo hodie nato vere effari licet. Ecce DEUS factus est, sicut unus ex nobis. Nam dum Verbum hypostaticum caro fieret, nobis per omnia simile factum est, excepto peccato. Nasci hominum est, ex tœmina nil unquam natum est, nisi ejusdem sortis & conditionis miser hominis filius, homo Ut supra omnem humanam & creatam conditionem est, nasci ex homine DEUM, qui jam fuit ante istam suam nativitatem; ita & hoc nasci, ut Christus homo factus homines redimat, & afferat Cœlo. Istud magnum est illud Pietatis Mysterium, quod hodie nobis sciendum proponitur. Paucis ut repetam Filius DEI, imo ipse DEUS, Filius hominis sic homo factus est, ut homines adoptionem filiorum hominis consequerentur. DEUS humanam carnem induit, ut homo Divinorū beneficiorum particeps redderetur. Deus in terram descendit, ut homines cœlo inferret. Beneficia extra contrōversiam summa quæ ne quidem Angelicis, nedum humanis vocibus satis unquam deprædicari possunt. Sint magna *Philanorum fratrum* in Carthaginenses, *Codri* in Athenienses, *Deciorum & Curtiorum* in Romanos, singulorum in Concives suos beneficia; sed si quis illa contendere velit, cum his, quæ Filius DEI homo natus, in nos homines contulit, nulla inter illa proportio erit. Illi homines hominibus, æquales æqualibus, Tribules contribulibus; Nobis



bis DEUS hominibus, æternus caducis, sumus infimis inservit. Illi vel pericula ad exiguum tempus duratura a suis avertēbant, vel aliquot jugerum adjectione eosdem beabant. Hic nos eripuit æternis miseris & in regni cælestis æternam possessionem intulit. Illorum beneficia ad Concives, singulorum ad singulos solum pertinebant, hujus latissime ad omnes populos, totius mundi cives se diffundunt. Illi sibi officiis devinctos juvarunt; Hic petulantes legum suarum, transgressores venit adjutum. Hæc & alia, quæ jam dici possent plurima prolixè in templis his diebus sacris dicuntur, quæ tum veram animi lætitiā, in hodierna corporalium, ex strepitu bellorum, exorta tristitia, in nobis excitare, tum ad gratias DEO pro tantis beneficiis agendas omnes & singulos provocare jure debent, ut monente acutissimo Evangelista V. T. Illustri Propheta *Esaia* lætemur, sicut qui lætantur in messe, sicut exsultant victores capta præda, quando dividunt spolia. Ut enim agricola tempore copiosæ messis gaudio perfusi, mente conceptam lætitiā cantilenis testantur; ut milites confectis feliciter hostibus & spoliis onusti læti, choros agentes, domos repetunt; ita nos hoc tempore, quo uberem messem beneficiorum natalitate CHRISTI partorum, quamvis in media pro dolor! agrorum nostrorum devastatione metere licet, quia ille aparuit, qui adventu suo mortis ac Diaboli, hostis animarum nostrarum copias



pias fudit, nos in libertatem asseruit, & spo-  
lia ultima, peccatorum remissionem, gratiam  
DEI, vitam & salutem æternam distribuit, me-  
rito in Domino læti carmina meditatur, &  
hanc nostram summam scientiam salutamus.  
Suscipiamus DEUM in nobis, qui nos suscepit  
in se; Portemus DEUM in casto corpore, quem  
Virginis casta membra portarunt in utero, in  
brachiis. Id unice agamus, ut ipso adjuvante  
valeamus Ei Spiritu uniri, qui nostra non hor-  
ruit carne vestiri. Oremus filium nobis natum  
& Puerum nobis datum, ut Diabolum in hac  
postrema mundi senecta rabiosius grassantem re-  
primat, Terræque nostræ devastationem omni  
modam quærentibus obicem ponat. Clamores,  
gemitus, suspiria, angustias & lacrymas extrema  
calamitate pressorum paterne exaudiat, pacem  
Ἐιρηνησῶσι summus anxie desideratam clemen-  
ter & benigne restituat, nosterque Emanuel sit,  
ut usque ad consummationem seculi in Eccle-  
sia nostra militante, cum Angelis in Cælo tri-  
umphantibus Canticum illud gloriosum cante-  
mus, & sonemus: GLORIA DEO IN AL-  
TISSIMIS, PAX IN TERRIS, ET  
HOMINIBUS BENEVOLENTIA

ET LÆTITIA.

P. P. Sub Sigillo ACADEMIÆ.

ROSTOCHII.


D. XXV. Decembr. Anni 1712.













bis DEUS hominibus, æternus caducis  
infirmis inservit. Illi vel pericula ad  
tempus duratura a suis avertabant, &  
jugerum adjectione eosdem beabant.  
eripuit æternis miseris & in regni cæl-  
nam possessionem intulit. Illorum be-  
Concives, singulorum ad singulos solu-  
bant hujus latissime ad omnes populo  
mundi cives se diffundunt. Illi sibi offic-  
ctos juvarunt; Hic petulantes legum  
transgressores venit adjutum. Hæc &  
jam dici possent plurima prolixè in te-  
diebus sacris dicuntur, quæ tum veram  
lætitiâ, in hodierna corporalium, ex  
bellorum, exorta tristitia, in nobis excita-  
ad gratias DEO pro tantis beneficiis  
omnes & singulos provocare jure deb-  
monente acutissimo Evangelista V. T.  
Propheta *Esaia* lætemur, sicut qui læ-  
messe, sicut exsultant victores capta præc-  
do dividunt spolia. Ut enim agricolæ  
copiosæ messis gaudio perfusi, mente con-  
lætitiâ cantilenis testantur; ut mili-  
fectis feliciter hostibus & spoliis onusti læ-  
ros agentes, domos repetunt; ita nos h-  
pore, quo uberem messem beneficioru-  
vitate CHRISTI partorum, quamvis in-  
proh dolor! agrorum nostrorum deva-  
metere licet, quia ille aparuit, qui adve-  
mortis ac Diaboli, hostis animarum nostrarum

